1580

Simplex cibus multiplici est anteponendus.

NOn est, vt chordis, non est concentus in esca
Multiplici, non est cur variare velis.
Quàm grauis est patriæ miserandæ causa ruinæ,
Cùm plebs, cùm patres seditione strepunt:
Tam grauis est stomacho discordia causa pericli,
Cùm leue cùm durum consociare paras.
Si varium Bacchum, per se cœlestia dona,
Exhauris, sensus ebrietate grauas:
Sic pondus pigros premit intolerabile ventres,
Vnà dissimiles inijciendo dapes.
Digeritur facilis, grauior putrescit: vtérq;
Noxius, hic vstus, crudior ille manet.
Fama refert in equo, quem credula Troia recepit,
Vnanimes tutò delituisse duces;
Haud tamen infensam potuit cum coniuge miti,
Socrate, Xantippen vna tenere domus.
Sic si quis mensas epulis instruxerit vnis,
Ille salutiferas conficit absq; malo:
At qui magnifico celebrat conuiuia luxu,
In stomacho turbas vel meliore ciet.
Nam fit delicijs rudis indigestáq; moles,
Vel quòd edis supra suauia quæq; modum:
Vel quòd (vt imponat finem moderatio iustum)
Aduersi succi bella timenda gerunt,
Quos, seu concretam varijs de gentibus vrbem,
M[illegible]ximus est firma pace ligare labor.
Vt sine morte potens tripli[illegible]m superare Chimæram,
Vix vnus Glauci filius ipse potest:
Sic alimenta graui vincet contraria damno,
Vincere si calidi vis generosa valet.
Vita, valetudo, vires discrimine tanto,
Nescio quod metuunt exitiale malum.
Anne bonus patina simul accumulabit eadem
Plurima, q[illegible]æ multùm sunt aliena, coquus?
[illegible] piper, pi[illegible]scem, vituli cum carne ferinam,
Pernam, perdic[illegible]es, zinziber, oua, nuces?
Confusè patina ser[illegible]uum miscere pu[illegible]?
Ac aluo dominum no[illegible] pudet ista suum?
Non pudor est. Mos est. Tamen ista timere necesse est,
Omnibus est gladijs plùs metue[illegible]da gula.
[illegible]acetenim natura dolet, cadit, æstuat, alget,
Hæret, & in triuio, qua queat ire, stupet.
Vt cui plura simul peragenda negotia restant,
Nescit quod primùm perficiatur opus
Ac alternatim poterat quæ singula, linquit
Cuncta simul. Mur[illegible]ùm vis sociata iuuat,
[illegible]ed distracta vijs var[illegible] intentáq; rebus
Pluribus est long[illegible]m soler[illegible], minor.

[illegible] integra, quotquot
[illegible]liciere cibo.

Impura corpora quò plus nutries, eò magis lædes.

NEscio quæ multos decepit opinio, multo
Credunt se morbos pellere posse cibo.
Quæ possunt igitur bellaria cunq; parari,
Obtrudunt, sanguis cui vitiatus inest.
Quin bibis, & comedis? Quin te, charissime, seruas?
Hoc vnum quasi sit, multa vorare satis.
Omnibus est aliquid, ne vis cadat omnis, edendum:
Sed tamen impuris copia sumpta nocet.
Materiémne vides proprijs temerare venenis
Hanc illam, veterem contaminare nouam?
Sic mellita magis reddit magis acria bilis,
Quicquid edit serpens, id citò virus erit.
Vberiore seges, quo perniciôsior omnis
Quàm bona, si nutris fertilitate viget:
Pingue minùs rapidis oleum superadde caminis,
Vulcani multò sæuior ira furit:
Da nummos homini, qui multa recondidit, auri
Incipiet magis hunc vrere sacra fames:
Et licèt ad mentum medio sit in amne, quis vnquàm
Hydrops extinguet plura bibendo sitim?
Adde quòd humor iners contactu polluit ipso,
Haud secùs ac dulces inficit æquor aquas.
Peiorémne putas meliori cedere? Vires
Auget, & appositum sub ditione tenet.
Instar & est dominæ, quæ fraude tyrannide parta
Omnia deprauans imperiosa regit.
Cúmq; cibus primùm descendit in intima gratus
Hunc rapit, hunc subigit degenerare statim.
Vt qui saxificæ spectabant ora Medusæ,
Attoniti miris diriguere modis:
Vertit vt in fuluum diuésq; misérq; metallum,
Quæ manibus potuit tangere cuncta Midas:
Cogitur vt misto lac & coalescit aceto:
Lædit vt insipido vappa sapore merum:
Haud secùs humorem, quæcunq; receperis intùs
Pabula, corruptum qui dominatur, alunt.
Nàmq; valent pauci multos superare, viritim
Obuius hic illo si pereunte, venit.
Cúmq; minutatim cæca conduntur in aluo
Singula, vincendi copia nulla datur.
Flumine vasa lauas, (laudo quoq;) nàmq; liquores
Mutabit suaues inueteratus odor.
Exoneranda malo succo sunt viscera, tandem
Audebis tutò suppeditare nouum.
Euacuare times? Licet attenuare coquendo,
Dum ratio cupidas abstinet ore manus:
Dúmq; salutaris Medicina refrigerat æstum,
Ne mala putrescant feruidiora situ.

Quantò igitur magis impuris alimenta ministras
Corporibus, tantò deteriora facis.

[illegible]VDINI,
[illegible]i[illegible] Typographi. 1580.